

# Borys Jan Bałyk

---

## "De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Valamin Rtskyi instauratorum", Vol. 1, Meletius M. Wojnar OSBM, Romae 1949 : [recenzja]

---

Collectanea Theologica 26/1, 193-203

---

1955

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## RECENSIONES

MELETIUS M. WOJNAR OSBM, De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum. Vol. I, ed. 2. Romae 1949, Sumptibus PP. Basilianorum, Piazza della Madonna dei Monti 3. (Analecta Ordinis s. Basilii M., Series II, Sectio I, Vol. I). Pag. XX + 218 + imago Metropolitanae Josephi Velamin Rutski.

Dissertatio haec constituit studium juridicum de evolutione formarum superioratus in Ordine Basilianorum Ruthenorum anno 1617 a Metropolita Kijoviensi, Josepho Velamino Rutski, reformato. Nimirum inter omnes constat, huius Ordinis operam in historia Ecclesiae Ruthenae summi momenti fuisse. Quam ob rem maximum prodest huius Congregationis internam structuram exquirere seu formas juridicas, quibus vicissitudines tam intus in ipsa Congregatione, quam relate ad hierarchiam ecclesiasticam nisae sunt. Opus grande elaborandi scientificae re vera tam fundamentalis problematis decursu saeculorum XVII et XVIII in historia Ecclesiae Ruthenae hac in dissertatione monachus eiusdem Ordinis P. Wojnar suscepit. Proinde tractatus hic —ut ipse Auctor declarat, (p. IX) — pariter de jure religiosorum eiusdem Ecclesiae agit.

Auctor quo promptius lineas evolutionis huiusmodi eventus juridici exponeret, qui Congregatio Basiliana SS. Trinitatis evasit, describit imprimis in sat longa introductione, (pp. 1—62) formas superioratus monastici in Ecclesia Ruthena, periodo Metropolitanam Rutski praecedente, vigentes. Ideoque conspectu generali comprehendit etiam „Regulas fusiores et breviores“ clarissimi vitae monasticae Patriarchae, s. Basilii M. atque in-

vestigat eius opinionem tam de relatione juridica monasteriorum erga ipsorum episcopos ordinarios, quam de regimine monastico interno, ostendendo, inter alia (p. 11), ideam directionis monasteriorum centralis atque uniformis a s. Basilio M. non alienam fuisse. Deinde explicantur notae characteristicae regiminis monastici tempore propius illum Metropolitam praeveniente, tam externi, (episcopi, patriarchae, metropolitae necnon fundatorum), aqum — interni, atque praesertim autonomismus monasteriorum seu defectus regiminis centralis diligenti oculo consireratur.

Etsi Metropolita Rutski huiusmodi independentia monasteria in congregationem monasticam, exemplo ordinum Ecclesiae Latinae praelucente coadunavit, eademque regimini superioris generalis seu protoarchimandritae subiecit, at nimirum studebat pariter, ne in nova congregatione notae antiquitus statui monastico in Ecclesia Ruthena propriae funditus evanescerent. Congregatio a Metropolita hoc modo transformata, oritur tamquam novum institutum juridicum, conjungens in se notas monachismi orientalis et occidentalis, quorum mutuam unionem atque synthesim conservare intendit. Insuper congregationi sic efformatae decursu XVII et XVIII saeculorum nullae erant Constitutiones definitive a Sede Apostolica approbatae, ex quo evenit, ut forma eius regiminis generalis, provincialis ac localis mutationi continuae subiiceretur. Quae quidem evolutio figurae juridicae superioratus Basiliani in duabus partibus ab Auctore — ut ipse declarat (p. XII) — tractari proponitur. In prima nempe — iam publicata ac typis excussa, in suo caractere generali expositae sunt phases regiminis efformandi sub respectu „compositionis in eo elementorum orientalium tum occidentalium“, dein eius cenralizationis ac denique eiusdem ab hierarchia exemptionis. Altera vero pars studii propositi — Autore insinuante — accurate lateque de praecisa singulorum institutorum regiminis centralis, provincialis ac localis evolutione actura est. Quam ob rem attentionem nostram parti primae insistamus.

Secundum Auctorem, in evolutione regiminis Basiliani duae periodi distinguendae sunt: I, — quae a primo capitulo, an. 1617 a Metropolita ac religiosus celebrato incipitur, quo pacto nova Congregatio SS. Trinitatis exurgit; dein II — inde ab an. 1743 prosequitur, quo quidem anno a Benedicto Papa XIV post accessionem ad eam monasteriorum, cum ipsa nondum coadunatorum, unio duarum provinciarum in unum ordinem sub potestate communis generalis seu protoarchimandritae facta est. (pp. 61 — 80).

Desuper periodus prima secundum Auctorem ulterius in quattuor phases subdividitur. Prima phasis initium sumit ab an. 1617; Congregationem imprimis quinque dumtaxat monasteria: Wilno, Nowogródek, Mińsk, Żyrowice atque Byteń constituunt, dein autem ab an. 1623 etiam monasteria dioecesis Polocensis incorporata sunt; monasteria vero a Constitutionibus ab ipso Metropolita compositis reguntur. Secunda — initium fecit a die 4.X.1624, quo Sedes Apostolica novae Congregationis approbationem peregit atque facultatem dedit superioris generalis seu protoarchimandritae eligendi necnon licentiam novorum monasteriorum incorporationis perficiendae. Insuper capitulum sic conditae Congregationis a religiosus celebratum, facultatem a Sede Apostolica constitutiones ferendi accepit, quibus tamen membra ipso facto obligantur etiam ante decretum Sedis Apostolicae. Tertia phasis originem ducit a capitulo an. 1686 in oppido Nowogródek celebrato, quo celebr ille „Nexus“ seu collectio normarum quibus relationes Metropolitanam inter ac monachos intercedentes determinabantur. Quarta phasis incipitur a Synodo Zamostiana, anno 1720 convocata, ubi decisio subsequuta est, ut e monasteriis adhuc non incorporatis distincta congregatio, particulari protoarchimandritae subiecta, constitueretur. Re vera autem formatio huiusmodi distinctae congregationis nonnisi in capitulo 25. VIII.1739 Leopolim convocato perfecta est.

Periodus secunda intra annos 1743 — 1795 continetur atque aetatem — quae dicitur — auream eiusdem Ordinis.

etiam sub respectu uberioris institutorum regiminis evolutionis constituit, (pp. 81 — 109). Periodus haec imprimis a facto magni momenti incipitur, sc. ab unione duarum congregationum in unam societatem religiosam sub titulo „Ordo s. Basilii Magni Ruthenorum“, quod in capitulo an. 1743 in monasterio Dubnensi celebrato peractum est; concluditur autem periodus Polonia tertio tripartita inter finitimas gentes. Sed pariter hac in periodo ab Auctore tres phases efformationis organorum regiminis demonstrantur. Prima nempe phasis originem ducit a supra dicto capitulo, a quo etiam ad interim novae Constitutiones compositae sunt necnon inter Ordinem ac Metropolitam novus „Nexus“ constitutus est, similis illi, qui an. 1686 conclusus erat. Desuper ab eodem capitulo statuta est divisio Ordinis in duas provincias: videlicet SS. Trinitatis et Protectionis Beatissimae Virginis Mariae. Phasis dein secunda insignitur decretali „Super familiam“, 30.III.1756 a Benedicto XIV edito, quo praesertim disciplinae Archimandritarum seu Abbatum ordinatio introducta est, quae influxum etiam in partialem mutationem organizationis Ordinis exercuit. Hac in phasi nimirum conatus proximus evadit obtinendi definitivam et completam compositionem Constitutionum, quarum elucubratio speciali decreto capituli, an. 1759 in oppido Brześć Litewski congregati, 12 Basilianis commissa est. Qui autem „formatores Constitutionum“ iam sequenti capitulo in eodem oppido an. 1772 celebrato compositas „Constitutiones examinandas“ ad expendendum praepararunt, quae adhuc eodem anno typis impressae sunt. Tertia phasis incipitur an. 1780 in monasterio Torokanensi capitulo congregato, in quo propter Rei Publicae conditiones Ordo in quattuor provincias: Poloniam, Lithuaniam, Haliciensem et Alboruthenam divisus est. Simul ac ab eodem capitulo nova commissio „extensorum“ designata est, quorum erat supra commemoratas „Constitutiones examinandas“ extendere, quo pacto „Codex Constitutionum Ordinis s. Basilii Magni“ redacturus esset. Hic quidem „Codex“ re ipsa redactione perfectus atque dein an. 1791 in monasterio Poczajów typis

impressus est, attamen neque approbationem capituli neque Sedis Apostolicae assecutus est, quapropter nullam auctoritatem juridicam habuit, religiosi autem decretis adhuc in capitulo an. 1772 in oppido Brześć Litewski receptis regebantur.

Auctor etsi proinde declarat, studium suum his duabus periodis terminari, quibus idea superioratus religiosi „impulsu et auctoritate“ ipsorum Basilianorum evolvebatur, attamen generaliore conspectu etiam structuram regiminis atque in tertia — ut ait — periodo attingit, quae exorta est inde a tertia partitione Poloniae (1795) usque ad reformationem sic dictam „Dobromilensem“, an. 1882 peractam. (pp. 109 — 124). Propterea exponuntur etiam principia regiminis Basilianorum sub imperiis Russiae ac Austriae, quae tamen instituta regiminis monastici re ipsa totaliter a regimine civili dependentia, persaepe cum schemate superioratus monastici periodi praecedentis organice minime conectuntur.

Causa autem positiva huiusmodi evolutionis perpetuae in regimine Ordinis in duabus primis periodis. — ex Auctoris opinione — consistit in compositione eiusdem e principiis ac legibus ex utraque disciplina orientali et occidentali desumptis. (pp. 125 — 136). Rutski enim utpote in peragenda reformatione religiosa usus est non solum opera auxilioque PP. Societatis Jesu, verum etiam in constituendis regiminis Basiliani institutis, exemplaria ab iisdem hausit, quamquam in religione reformata non omnino elementa juridica orientalia suppressa sunt, sed sic e. g. conservata fuit Metropolitae in monachos jurisdictio necnon Archimandritarum institutum. Attamen postea periodo secunda structura regiminis Basiliani vix non totaliter juri religiosorum Latino accommodata est.

Modus etiam centralizationis in Ordine Basiliano ad instar congregationum Latinarum peractus est, in quo tamen elementum hierarchicum non tam perfecte, uti in Societate Jesu praevallet, sed elementum — ut ita dicam — democraticum seu capitula potiozem partem retinuerunt. (pp. 137 — 144).

Tum denique (pp. 145 — 199) Auctor exponit modum dependentiæ atque exemptionis Ordinis Basiliani a Metropolita et Ordinariis locorum; quo fine accurate analysi submittitur jus Metropolitæ passivum ad eligendum in Protoachimandritam Ordinis, ac dein explicantur phases evolutionis facultatum Metropolitæ quatenus metropolitæ relate ad Ordinem a tempore, quo reformatio incoepa imprimis monasteria Metropolitæ comprehendebat, tum ab accepta Sedis Apostolicæ approbatione usque ad periodi secundæ conclusionem.

Dissertationi insertæ sunt etiam litteræ Metropolitæ Rutski e 28.IX.1617 ad card. Borghese de reformatione religiosorum peragenda necnon „Regulæ communes“ ab eodem Metropolita pro monachis ex operibus s. Basilii M. excerptæ compositæque.

Hunc in modum secundum studium P. Wojnar notæ characteristicæ evolutionis ideæ superioratus in Ordine Basiliano delineantur, quo pacto simul atque synopsis processus historici legislationis monasticæ Ruthenæ includitur. Procul dubio concedendum est, laboriosum hoc opus re vera thesauros scientiæ historicæ „prima manu“ e locupletissimis archivorum Romanorum collectionibus exhaurit. Auctor quidem pleno gradu usus est documentis archivalibus adhuc intactis, quibus re ipsa plane pretiosus valor huius operis constituitur. Desuper Auctor sufficienter etiam fontes ac elaborata typis impressa inquisivit, quapropter elucubrationem ipsius inter magni momenti opera scientiæ historicæ computare licet; nonnulli autem etsi parvi momenti defectus bibliographici inferius indicentur. Hac in elucubratione utique demonstratur pariter peritissima Auctoris methodus juridica necnon intellectus ipsius subtili in analysi figurarum juridicarum plurimum pollens. Auctor enim tam originaliter ac scientificè decreta capitulorum religiosorum necnon alia documenta enucleat, ut opus re ipsa insignitum omni apparatu scientiæ criticæ crearet. Ideoque conclusiones ipsius ubique solidis fontibus fundantur. Quo pacto non solum sat clare evolutio institutorum regiminis Basiliani illustratur, ve-

rum etiam fundamentalia problemata ad historiam Ecclesiae Ruthenae pertinentia exponuntur. Quam ob rem praeclarum hoc opus veluti „revelationem“ seu eventum insigne ac insolitum in historiographia juridica Ecclesiae Ruthenae constituit, etenim problemata adhuc scientificè intacta plane examinantur.

Attamen nonnullae, etsi paucissimae adnotationes, quae parvas inadvertentias Auctoris ac operis desiderata tam realia quam methodica complere possint, adjicere velim.

In p. XI Autor scribit, circa an. 1700 „duas ultimas“ dioeceses Ecclesiae Ruthenae: Leopoltanam ac Premisliensem unionem cum Sede Apostolica declarasse, attamen praetermissit mentionem de tertia Luceoriensi. Accuratius adhuc exponere licet, eandem dioecesim Premisliensem iam an. 1691 ad unionem accessisse.

Auctor — ut opinor — plus quam necessitas postularet, partem libri (pp. 2—27) dilatavit, ut concordia institutorum a Metropolita Rutski in Congregatione SS. Trinitatis introductorum cum normis s. Basilii M. ostendatur. Eo vel magis, quod Auctor tam parum in typico s. Theodori Studitae versatur, etsi huius — etiam ad mentem ipsius Auctoris, (pp. 41, 49, 50) — influxus in formationem monachismi Rutheni nimis conspicuus evadit.

Dein in inquirendò superioratu religiosorum periodo ante Metropolitam Rutski, (pp. 32—33), inspiciendus sit recentior articulus P e t r i T a b i n s k y j, „Cerkovnyj Ustav sv. Vołodomyra Velykoho“, („Nyva“, Leopoldis, december 1938; januarius — februius 1939). Idem valet in demonstrando disciplinae occidentalis in partialem latinizationem Ecclesiae Ruthenae influxu, (sc. ad p. 125).

Proinde in elaborandis institutis iuridicis confraternitatum ac monasteriorum (pp. 37—39) a P. Wojnar consulendus est liber maximi momenti: K a z i m i e r z C h o d y n i c k i, Kościół Prawosławny a Rzeczpospolita Polska, Warszawa 1934, pp. 138—139, 177). At videtur opinio de stauropegio monasteriorum: Krechów et Poczajów — ut quidem P. Wojnar sentit,



(pp. 37—38) — non tam solide fundari, nam respectiva documenta concessi — ut fertur — a patriarchis horum stauropegii non sunt nobis scriptis tradita. Addendum adhuc est (ad p. 47), copiosa facta filiationis monasteriorum in Ecclesia Ruthena citari a F. I. Titow in opere „Russkaja Prawosławnaia Cerkow“, t. III, „Zagranicznyje monastyri kijewskoj jeparchii w XVII—XVIII w.“, pars I, pag. 25. Desuper a Titow ibidem (p. 23) indicantur etiam exempla erectionis in dioecesibus monasteriorum „juris metropolitani“, quod quidem fit inde a tempore Metropolitae Kijoviensis, Petri Mohyla.

Pariter P. Wojnar (pp. 42—44) minime adhibuit supra commemoratum opus Chodynicki, (pp. 116—119) in inquirendis fundatorum collatorumque facultatibus, quae eis in Ecclesia Ruthena tempore Jagiellonum competebant, quapropter demonstratio, quae spectat ad has quaestiones, apud P. Wojnar insufficiens atque non tam adamussim obiectiva evadit.

Auctor — ut opinor — debuit latius ac diligentius genesis officialis nominis in Ecclesia Ruthena monachorum ante atque post reformationem inquirere, nam solummodo hac in materia dicit, (p. 57), eos a tempore illius Metropolitae „Basilianos“ vocari, („abhinc Basilianorum nomine nuncupatorum“). Sed inde quidem quaestio emergit, quali cognomine monachi antea appellati sunt, atque si hi adhuc „Basiliani“ non vocabantur, tum naturaliter quaestio oritur, cuius influxu hoc nomen eis a Metropolita applicatum sit. Dein non parum interest — ut sentio — ut accuratius determinantur rationes iuridicae „novitatis“ (sc. utrum „religio nova“, an tantum et quo gradu „reformatio“) efformatae a Rutski societatis religiosae, comparate cum periodo antecedenti.

Auctor, qui omne genus organizationis monasticae in Ecclesia Ruthena diligenter adnotat, quapropter vel adducit (pp. 74—76) ut eventum „maioris momenti“ — conventiculum superiorum religiosorum dioecesis Leopoltanae in monasterio Uniów an. 1711 celebratum, ubi decisiones nonnullae bonum

commune monasteriorum eiusdem dioecesis spectantes statutae sunt, nihilominus praetermisit similem synodum an. 1693 in dioecesi Premisliensi ab episcopo Innocentio Winnicki post accessionem eiusdem ad unionem cum Ecclesia Romana, convocatum. Nempe hac in synodo Winnicki dedit facultatem „patribus hegumenis inter se superiorem maiorem („superintendentem“) omnium monasteriorum“ in dioecesi Premisliensi positorum eligendi. (Ep. H r y h o r i j Ł a k o t a, Try synody peremyśki, Przemyśl 1939, pp. 12—14). Superintendens electus est frater episcopi Innocentii, Martinianus Winnicki atque eiusdem erga monachos obligationes descriptae sunt necnon pro novitiatu tria tantum monasteria: Szczepłoty, Ławrów et Dobromil designata sunt. Hunc in modum habentur tentamina monasteria dioecesis Premisliensis in unam provinciam a Congregatione Basilianorum SS. Trinitatis independentem coadunandi.

Deinde ab Auctore de historia regiminis in Ordine Basiliano tertiam post divisionem Poloniae agente, (p. 110), inquisitioni subduntur tantum monasteria Austriae ac Russiae subiecta, praetermissa autem mentione de territorio regionis Białystok, quod intra annos 1795—1807 sub imperio Borussiae invenitur ibique dioecesis Supraśl creata est, cuius sedes episcopalis famosum illud monasterium — archimandria eiusdem nominis constituitur. (P e ł e s z, Geschichte der Union, II, p. 596). Inde quidem quaestio evenit, quo pacto regimen Basilianorum etiam sub isto imperio Borussiae efformaretur.

Insuper P. Wojnar pariter in demonstrando statu ac fine monasteriorum sub imperio Russiae statuit annum officialis ibi Unionis suppressionis ac consequenter etiam monasteriorum 1839, (p. 116), praetermissa tamen inquisitione de rebus gestis monasteriorum, quae intra fines „Księstwo Warszawskie“ atque postea intra „Polskie Królestwo Kongresowe“ inveniuntur. Nempe post tractatum peractum in oppido Tylża, (8.VII.1807) atque dein post Vindobonensem (14.X.1809) intra terminos recens formatae civitatis „Principatus Varsaviensis“,

(„Księstwo Warszawskie“), quinque monasteria Basilianorum inveniuntur quorum tria: in Chełm, Biała ac Varsovia... provinciae Lithuanae ascripta fuerunt, dein duo: in Zamość et Lublin — Polonae... His quinque monasteriis nova provincia constituta est... in capitulo in oppido Chełm die 27.II.1810 convocato a Ferdinando Dąbrowa Ciechanowski, dioecesis Chel-mensis administratore, qui etiam primus eorundem monasteriorum provincialis electus est“. De rebus gestis huius provinciae notitias suppeditat ks. K ł a d o c z n y J ó z e f in articulo: „Dzieje prowincji bazylikańskiej w Królestwie Polskim, 1810—1864“, (Sprawozdania T-wa Naukowego we Lwowie, Rocznik XVI—1936, pag. 301—308, Lwów 1937). Suppressio quidem huius provinciae postea decreto e 28.XI. (10.XII) 1864 subsecuta est. (I b i d e m, pag. 308 atque ks. J ó z e f K ł a d o c z n y, Ostatnie chwile prowincji bazylikańskiej w Królestwie Polskim, Collectanea Theologica, A. XV, pag. 93—103, Lwów 1934; ks. W ł a d y s ł a w C h o t k o w s k i, Redukcje monasterów bazylikańskich, pag. 52. (Polska Akademia Umiejętności, Rozprawy, Seria II. T. XXXVIII, (Ogólnego zbioru T. 63), Nr 6, Kraków 1922).

Obvenerunt in opere etiam nonnulli defectus methodico — formales. Videlicet Auctor in rebus gestis personarum exponendis informationes de iis praebet secundum officium ab eis obeundum, omissis nominibus personalibus, ex quo tamen evenit damnum quoddam relate ad accuratam notitiam praestandam. Ita e.g. minime constat, de quibus personaliter nuntiis sermo est in pp. 69, 70—71, 79, 84, 99—100, 101, 106, 129, 150, 151, 187. Dein in p. 68 non est vocatum cognomen Episcopi, electi an. 1636 in Protoarchimandritam; pariter in p. 70 non sunt nuncupati „Episcopus Pinscensis“, neque „secundus Protoarchimandrita“; similiter in p. 93 — „Episcopus Vladimiriensis“, necnon in pp. 187 et 197 „Metropolita“ neque „Episcopi“. In p. 81 omissum est nomen Basiliani Żyrawski. Proinde in p. 71 non est citatum primo nomen Jesuitae Ujejski, sed dumtaxat in p. 129. Idem valet in pp. 77, 78 de Metropolita Kiszka. Postu-

latur adhuc nonnullibi accuratior temporis designatio (dies et mensis) capitulorum celebratorum, (e. g. in pp. 71, 74).

Proinde Auctor solitus est citare textum documenti sic uti in originali invenitur, ex quo evenit, ut narratio persaepe nimis difficilis ac parum enucleata evadat, e. g. in pp. 39, 63, 65, 69, 78, 82—83, 106, 125, 176—177. Etiam continua ad decreta conciliorum revocatio (e. g. in p. 29) permultarum citationum ope minus concinnam reddit expositionem. Textum autem originalem in notis locari praestat, quo explanatio claritatem, concinnitatem ac distinctionem accipiat.

Insuper ab Auctore ultra necessitatem nonnullae abbreviationes adhibentur, e. g.: in pp. 66, 67, 108: Metrop'a, Constitut'nes, Gra'a, epi, pti, Cong-m, tn; in p. 81: „4 a. approbata“. Comparant etiam defectus in corrigendis, e. g. in Indice (p. VIII) omissa invenitur paginatio capitis II et III, necnon in bibliographia auctoris De Martinis praetermissum est eiusdem nomen Raphael.

Indicatis tandem his paucis ac minoris momenti desiderandis supplementis tam realibus quam methodicis, nullo modo tam insigni operi P. Wojnar quidquam adimere intendo; quae tamen in nova editione dissertationis cum utilitate compleri ac corrigi possint.

Opus hoc quod re ipsa fructus eximiae eruditionis, ingentis laboris ac exemplar studii diligentissimi apparet, procul dubio solidum ac immarcessibile scientiae historicae monumentum constituit. Quapropter Auctori gratulari licet, ut operam navet etiam ulterioribus suis studiis atque sic erudite ac solide alia problemata legislationis Ecclesiae Ruthenae exponat.

*Borys Ioannes Balyk OSBM.*